



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Dvbivm I. An Infideles tam Principibus Christianis non subditi, quam eorum subditi cogi queant ad fidem Christianam recipiendam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

## DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

## LIBER V.

Continens Dubia aliqua præcipua, quæ Evangelij Ministris in terris Infidelium agentibus obvia esse possunt.



**V**T inoffenso pede calceati in Evangelium pacis altissimam animarum culturam exerceant, post salutare instructiones, ac formam inter infideles conversandi traditam, antequam adversus uniuscujusque sectæ errores singularia aggrediamur certamina, illud prærequiri videbatur, quotidiana dubia, quæ agentibus inter infideles passim obvia esse solent, dissolvere: id tamen breviter, & ingenere tantum, excussuri, postea speciatim in singulis sectis, quicquid dubitationis circa illas occurrere possit.

## LIBRI V

## PARS PRIMA.

*Quibus mediis liceat Infideles ad fidei veritatem adducere.*

## DVBIVM I.

• An Infideles tam Principibus Christianis non subditi, quam eorum subditi cogi queant ad fidem Christianam recipiendam?

**R**espondeo Non solum Infideles, qui Principibus Christianis non subduntur, sed etiam eorum jurisdictioni subiecti, cogi nequeunt ad fidem Christianam recipiendam. Conclusio est certissima & communi consensu Catholicorum recepta. Nam Principibus Christianis non incumbit cura infidelium, dicente Apostolo: *De his qui foris sunt nihil ad nos.* Præterea, quia cum credendi actus sit voluntarius ac liber, quempiam ad fidem cogi minimè patitur: Nec solum Christiana fides ab omni vi, atque coactione debet esse aliena, sed etiam absque metu mortis, carceris, suppliciorum, servitutis, aut similibus malorum suscipienda est. Neque enim usquam legimus cuiquam, hæc mala idèd illata fuisse, ut ad fidem, & Christianam Religionem traheretur. Idem omninò censendum est etiam de infidelibus, qui Christianorum Principum ditio-nibus subduntur, ut colligitur ex *Cap. de Judæis, & Cap. Qui sincera, dist. 45.* Et docet D. Thom. 2.

2. q. 10. art. 8. cujus sententia communi calculo recipitur ab omnibus.

## DVBIVM II.

An Infideles muneribus, donis, officijs, & obsequijs ad fidem allici possint?

**P**rima sententia asserit esse simoniam: quia si detur aliquid pretio æstimabile alicui, pacto expresso, ut ingrediatur Religionem, est simonia teste D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. in corpore, & probat ex *Cap. Quam pio 1, questione secunda*, ubi Bonifac. 8. prohibet omnem pactiõnem circa res spirituales; ergò nec licebit promittere munera aliqua infidelibus, ea pactiõne, ut ingrediatur Religionem Christianam.

Secunda sententia est asserentium non esse simoniam; pro qua sententia plures adducit auctores Thomas Sanchez *lib. primo de Matr. Disput. Sanchez. 36.* Tenet etiam Azor. *Tom. 1. Instit. Moral. lib. 8. Azor. cap. 24.*

Pro conciliatione tamen harum opinionum oportet scire, aliud esse donare alicui aliquid sub conditione, si voluerit converti ad fidem: aliud verò cum pacto expresso, pro eo, ut veniat ad fidem.

H 4

dem.